





1. Michaelis (Joh. Georg) (diff. de viro stante inter Myrtos, Halle 1739.
2. Moller (Christoph Gottf.) (diff. de Genuina vocum xarakter et ypostasi notione, Lipsie 1738.
3. Mosheim (Joh. Laur.) (diff. de jesu Christo vindice dogmatis de mortuorum ad vitam reditu, Helmst. 1740.
4. Müller (Gottfr. Ern.) (diff. de papolatricia, Lipsie 1726.
5. Müller (phil.) (diff. de jure Dei in Homines, jena ~~1707~~ 1701.
6. (diff. de regno Israelis restauracione, jena 1704.
7. crocodilus lachrimans, jena 1733.
8. (diff. de Jesu Christo deandropo, jena 1704.
9. (diff. de gloria temporis, jena 1661.

m. 3  
IO. LAVR. MOSHEMII  
DE  
IESV CHRISTO VINDICE  
DOGMATIS  
DE MORTVORVM AD VITAM  
REDITV  
COMMENTATIO.



---

HELMSTADII,  
EX OFFICINA SCHNORRIANA.

CIC ID CC XL.

TO HAVE MORTGAGED

IN CHRISTO NINDIC

DOGMATIS

DE MORTUORUM VIVAM

REDEVA

CONSTITUTIO



EX LIBRIS

HERMANNI

EX LIBRIS

1810





**Q**uae tot alia bona & gaudia miseris mortali-  
bus attulit, sanctissima IESV CHRISTI re-  
ligio, hoc etiam nomine pro divino mu-  
nere ab omnibus duci debet, quod cum  
animatorum humanorum perennitatem,  
tum mortuorum corporum ad vitam reditum, con-  
tra omnem dubitationem firmavit. Nondum qui-  
dem omni prorsus fide & auctoritate sua haec bina  
maximi momenti dogmata exciderant, quum hu-  
manam naturam filius ipse Dei indueret: nam & phi-  
losophorum aliqui disputabant, mortis expertes ma-  
nere decedentes animos, & plerique populi malis  
post fata male, bonis bene futurum esse, suscipa-  
bantur: corpora etiam extincta in vitam revoca-  
tum iri, gentis Iudaicae non minima pars existimabat.  
Verum his antiquae sapientiae reliquiis veteres illae  
pestes veritatis, inanis subtilitas, superstitio, contem-  
dendi pruritus, stupor & ignorantia, tantum obscu-  
rita-

ritatis, fardium & dubitationis asperferant, aegre ut dignitatem suam fustinerent & in dies magis collaberentur. Quocirca vindex defiderabatur, qui oppreffam veritatem nova luce colluflraret & rationibus omnibus argutiis humanis maioribus, victuras esse femper mentes corpore folutas & ipfa corpora certo tempore divina potentia vitam receptura esse, convinceret. Hunc sese nobis praebuit ipse Deus humanae naturae iunctus; qui, quod s. PAVLVS egregie scriptum reliquit, *mortem abolevit, vitamque & immortalitatem in lucem denuo produxit*, 2. Tim. I, 10.

Mors in his sanctissimi hominis verbis, quam IESVS CHRISTVS aboleviffe dicitur, sine dubio est vana illa, qua plurimi tum infecti erant, opinio, mortem & animis, & corporibus hominum sempiternam imminere: ex qua quidem summa mortis formido nascebatur. Nec enim ipsam, quod omnes novimus, mortem, seu corporis, animique ad certum tempus secretionem, Servator noster sustulit. Hunc vero, qui maximam terrarum orbis partem pervaserat, errorem ut penitus deleret, ζων, *vitam* & *immortalitatem* ἀφθαγγία, in lucem divinus Servator revocavit. Horum vocabulorum alterum ζων, *vita*, ad animam sine controversia referri debet, nec tantum immortalitatem, verum etiam beatam immortalitatem animorum indicat. Nam in sacris litteris, quod satis notum est, nomen ζων absolute positum felicem illam vitam, qua pii sine fine perfruentur, designare solet. Alterum vero nomen ἀφθαγγία seu immortalitas ad corpus pertinet & illam defunctorum  
 eor-

corporum redintegrationem significat, quam vulgo *mortuorum resurrectionem* nominamus. Id cum ipsa pæne vis vocabuli ostendit, tum orationis conformatio. Bina enim, quæ diximus, vocabula omnia illa haud dubie complectuntur, quæ morti sunt opposita; morti autem non modo animorum, verum etiam corporum vita repugnat. Neque totam mortem, seu, ut clarius loquamur, omnem, qui tum homines invaserat, de morte errorem evertisset **IESVS CHRISTVS**, sed partem tantum eius, nisi & dissolutis corporum membris novam vitam adseruisset. Ad hæc argumenta ipsa postremo res accedit. Ecquis enim ignorat Christianorum, **IESVM CHRISTVM** aequè firmiter corporum, atque animorum, perennem & beatam vitam demonstrasse & confirmasse?

Verbum *φωτισειν*, quo vir divinus naturam beneficii, a **IESV CHRISTO** hominibus præstiti, exprimit, proprie significat: *rem obscuram & in tenebris latentem in lucem & aspectum hominum proferre*. Ad dogmata igitur & sententias quum transfertur, quod hoc in loco fit, idem est, atque: Sententias aut prorsus ignotas, aut parum accurate cognitæ & perspectas, aperire & ea ratione roborare, omnis ut de veritate illarum dubitatio ex animis extrahatur. Quocirca hoc tradere **S. PAVLVM** manifestum est: Antequam Servator noster humanum genus institui de vera religione curaret, immortalitatem animorum & novam extinctorum corporum vitam vehementer obscuratam & oblivione prope obductam fuisse: alios hæc dogmata, in quibus tantum est solatii, plane

ignorasse: alios eadem negasse & oppugnasse: alios variis commentis pervertisse ac depravasse: ipsis denique eorum defensoribus solida, quibus dissentientes reprimerent, argumenta defuisse: IESVM vero CHRISTVM clare has veritates proposuisse, omnes eas humanorum ingeniorum fuce liberasse, praesidio inexpugnabili vallasse, & idcirco in integrum veluti restituisse.

Haec quam vere dixerit vir divinus, temporum, quibus CHRISTVS praesentia sua orbem nostrum beavit, Historia & totius religionis Christianae indoles luculentissime declarant. Sed inventi tamen sunt & olim & nostra memoria eruditi homines, quibus consultum visum est, non recta quidem via, verum circuitione quadam, vim eorum infringere. Mittamus nunc immortalitatem animorum, & de corporum tantum vita functorum instauratione dicamus. Hanc nemo quidem negat CHRISTVM aperte tradidisse, nec auctoritate tantum sua, sed etiam factis & argumentis demonstrasse: non desunt vero, qui negent, Servatoris nostri aetate eam ita oblitteratam & contaminatam fuisse, ut patroni & restitutoris indigeret. Cui sententiae ut fidem faciant, totam primum Iudaeorum gentem, pufillo Sadducaeorum grege dempto, de exanimatorum corporum renovatione nihil dubitasse, contendunt: Graecorum deinde philosophorum quosdam primi nominis, sola contemplatione & meditatione duce, eo pervenisse, observant, ut aut diserte corporibus alteram vitam pollicerentur, aut saltem faterentur, qui eam promittant, nihil absurdi

furdi spondere, eo quod fieri queat, ut sive casu, sive praepotentis Dei voluntate, dissipatae corporum particulae in eandem formam iterum coeant: postremo magnas & sapientiae laude celeberrimas nationes Persarum, Aegyptiorum, Indorum, Arabum & alias, ea ipsa, quae Servator noster, de corporibus in vitam revocandis publice praecepisse, disputant. Haec si tam certa essent omnia, quam esse volunt illi, multum de virtute & naturali potestate verborum s. PAVLI detrahendum esset, nec IESVS CHRISTVS, nisi laxo valde sensu, immortalitatem luci reddidisse, dici posset. Nec tamen idem omnibus, qui huic adsunt sententiae, consilium est. Alii enim ideo pugnant, IESVM CHRISTVM rem minime novam & inauditam nuntiasse, quum corpora de sepulcris reditura esse doceret, ut retundant eos, qui dogmatum Christianae religionis & praeceptorum rectae rationis discordiam perpetuo in ore ferunt. Horum in numero praeter veteres doctores, CLEMENTEM Alexandrinum, TATIANVM, TERTVLLIANVM & alios, summi quidam sunt aetatis nostrae viri, maxime PETRVS DAN. HVETIVS, (\*) TOBIAS PFANNERVS, (\*\*\*) HVMFR. HODY, (\*\*\*) Angliae eruditae decus, qui

(\*) Quaestionibus Alnetanis de concordia rationis & fidei Lib. II. c. XXII. p. 230.

(\*\*) Systemate Theol. gentil. purioris cap. XIX p. 427.

(\*\*\*) In praeclearo libro: *The resurrection of the same body asserted from the traditions of the Heathens, the ancient Jews and the primitive Church Part. 1. p. 29. f. Lond. 1694. 8.*

qui dedita opera hoc argumentum tractarunt. Verum alii, quorum nomina filere, quam invidia onerare malumus, idem, quod hi, propterea poscere videntur, ut minus commodorum hominibus attulisse religionem Christianam, quam plerorumque fert opinio, persuadeant. Quam suspicionem nulli magis incurrunt, quam illi, qui Iudaeos, dogma de mortuorum corporum restitutione ex Magis Persarum hausisse, & ex Babylonico exilio secum in Palaestinam adduxisse, opinantur; ex quo consequitur, IESVM CHRISTVM diu cognitam & Iudaeis receptam Persarum sententiam tantum repetiisse.

His quo usque assentiendum, quo usque rursus resistendum sit, nullo constitui modo potest, nisi antea id, quod nos sacrae litterae de corporum ad vitam reditu credere iubent, apte & dilucide exponatur, & Iudaeorum deinde, Graecorum & aliorum populorum, quibus idem, quod Christianis, placuisse ferunt, sententiae cum divinis hisce scitis conferentur. Persuasum est illis, qui a IESU CHRISTO religionem acceperunt, infinitam Dei potentiam in supremo iudicio corporum omnium, bonorum aequae ac malorum, distractas & longe, lateque dispersas particulas iterum congregaturum, eosdem, qui olim vixerunt, homines ex illis formaturum, & renovatis corporibus hisce animas suas redditurum esse, ut utrique tam probi, quam improbi, longe diversam a mortali vitam sine fine vivant, illi recte factorum aeterna praemia adipiscantur, hi malefactorum sempiterna supplicia iustitiae divinae persolvant. Videamus,

mus, num hoc dogma, CHRISTO inter homines versante, usquam saluum & sanum superfuerit.

Iudaeos quidem, ab his enim exordiendum est, plerique omnes putant, si parvam tollas Sadducaeorum familiam, aetate CHRISTI aequae castae, atque hunc, de corporum humanorum ad vitam reversione praecepisse. Atque habet, fateor, haec sententia non contemnendam veri speciem. Alios enim ut praetermittam novi testamenti locos, qui eam corroborare videntur, (\*) S. PAULVS disertè perhibet, Iudaeos, accusatores suos, non secus, ac ipse, sperare, fore, ut tam iustorum, quam iniustorum, cadavera viva de tumulis aliquando prodeant. *Actor. XXV. 15.* Sed, rebus omnibus diligenter consideratis, vereor, ne manifestum fiat, haud parum de hac populi Iudaici laude detrahendum esse. Principio sapientes Hebraeorum totum fere dogma istud, cuius res agitur, interimebant. Ex tribus nimirum, in quas vulgo distribuuntur, sectis, binae aperte aeternam corporibus mortem indicebant, tertia fluctuabat, falsaque veris adiungebat. Sadducaeos omni spe renovationis corpora semel defuncta privasse, nemo unus ignorat. His autem Esseni hac quidem parte nihilo meliores fuerunt, quidquid statuant, quibus sapientissimi & sanctissimi mortalium fuisse videntur. Narra-  
rat nobis IOSEPHVS, (\*\*\*) qui studiosissime philosophorum gentis suae decreta indagavit, idem, quod  
B  
sole-

(\*) Vid. Luc. XIV. 14. Ioh. XI. 24. Matth. XXII. 28. Marc. XII. 23.  
&c.

(\*\*) de bello Iudaico Lib. II. c. VIII. §. II. p. 164. ed. Haverc.

solebant Platonici, de animis praecepisse Essenos: Nempe, eos natura quidem aeternos & immortales esse, at malo fato suo corporibus tanquam vinculis implicari: his igitur expeditos, valde gaudere atque, si caste vixerint, sublimes in locum omni deliciarum genere refertum evolare. *Ἐπειδὴν δὲ ἀνεθῶπι τῶν κατὰ σάρκα δεσμῶν, οἷα δὴ μακρᾶς δαδείας ἀπηλλαγμένας τότε χαίρειν καὶ μετεώρως φέρεσθαι.* Postquam vero carnis vinculis solutae fuerint, quasi de longa servitute libertas illico laetari & in sublime evolare. Qui mentes corporibus, tanquam molestis carceribus, detineri arbitrantur, ii numquam, ut credant, adducentur, eas semel in lucem egressas, in custodiam relictam iterum reversuras esse. Fulcit hoc IOSEPHI testimonium PHILO, Essenianae philosophiae studiosissimus: qui non uno librorum suorum loco haud obscure significat, eandem a se sententiam probatam, futuramque corporum dissolutorum vitam reiectam fuisse. (\*) Neque huic opinioni repugnat id, quod alio fatetur loco, quorundam animas vitae cupiditate ductas in nova corpora descendere. (\*\*). Ex hoc ipso potius scito commode cognoscas, alienissimum fuisse hominem a nostro, quod CHRISTO auctore recepimus, de corporibus instaurandis dogmate. Perfectiores nimirum & sanctiores animas censet, corpore semel solutas, sepulcri instar semper illud fugere, minus vero purgatas & imbecilles stulte novam cum corpore  
a prio-

(\*) Vid. Libr. de somniis p. 592. & de gigantibus p. 285. f. ed. Francofurt. 1691. fol.

(\*\*) Libro de somniis p. 586.

a priori diverso coniunctionem appetere. Haec quantopere, quaeso, semota sunt a Christianorum sententia?

Soli igitur ex Iudaeorum sapientibus Pharisei corpora animis suis denuo iunctum iri, adseverabant. Sed haec quoque familia liberum reliquisse discipulis, quemadmodum hac de re sentire vellent, videtur. Certe erroribus minime levibus partem veritatis, quam tenebat, deformavit. IOSEPHVS, ipse Phariseorum sectator, statuisse eos, scriptum reliquit, improborum animos perpetuis sub terra suppliciiis excruciatum, proborum vero mentibus a corpore secretis potestatem datum iri in alia transeundi corpora. (\*) Id decretum paullo clarius alio loco interpretatur, quo piorum animos in sanctissima coeli regione, (*χωρον ἑρανῆ ἀγιώτατον*,) post corporis interitum habituros atque inde, multis saeculis elapsis, (*ἐκ περιτοπῆς αἰώνων*) ad casta & munda corpora iterum animanda demissum iri, affirmat. (\*\*) Fallit nos sine dubio vafer Iudaeus, quod toti Phariseorum gregi persuasum hoc fuisse tradit: novi enim foederis loci aliquot ostendunt, magnam generis huius partem melius sensisse. Fac vero, perpauca tantum opinioni, quam omnibus temere IOSEPHVS tribuit, additos fuisse: id tamen inde liquet, restitisse nemini suorum sectae principes, ne de corporum institutione

---

(\*) Antiquit. Judaicar. Lib. XVIII. c. I. §. 3. p. 871. de bello Iudaico Lib. II. c. VIII. §. 14. p. 166.

(\*\*) de bello Iudaico Lib. III. cap. VIII. §. 5. p. 248. Ἰϋδαϊκῶν (\*)

tione pro arbitrio suo decerneret, multosque idcirco longo a veritate intervallo semotos fuisse. Non cogunt quidem nos IOSEPHI haec testimonia, ut existimemus, illos Pharisaeorum, qui bonorum mentibus meliora & puriora domicilia polliciti sunt, negasse, eadem, quae occiderunt, corpora, mandato Dei in vitam revocatum iri. Ambigue enim loquitur, consulto fortassis, ut saepe solet, incertumque relinquit, utrum crediderint, Deum diversa, an eadem corpora, quibus iuncti quondam fuerunt, sed emendata, sanctis animis redditurum esse: tacet etiam, utrum nova haec corpora, quae beatos recepturos esse, docebant, immortalia, an vero mortalia putaverint? Sed mitissime licet verba eius accipiamus, hominemque, ut Graecorum, Romanorumque cavillationes evitaret, obscurius sectae suae mysteria enuntiasse, suspicemur, hoc tamen constabit, plurimos Pharisaeorum inficiatos esse, fore, ut improborum corpora in lucem & vitam reducantur: quae sententia a Christianorum dogmate valde discrepat.

Gravius etiam alii ex hac secta peccabant, qui animos de corpore in corpus devolvi & pluribus idcirco corporibus ex ordine sociari, somniabant. Huius opinionis, quae ex schola forte PLATONIS & PYTHAGORAE ad Iudaeos fluxit, viri docti expressa in nonnullis sacrorum librorum locis vestigia (\*) dudum animadverterunt: neque hodie multis ea, magnisque patronis inter Hebraeorum magistros destitui-

---

(\*) Matth. XVI. 14. Matth. VIII. 27. Ioh. I. 21. IX. 2. &c.

stituitur. (\*) Scio, errare eos, qui arbitrantur, neminem huic dogmati favere posse, quin idem humanorum corporum futuram restitutionem evertat prorsus & destruat. Ipsi enim illi Iudaeorum doctores, qui unam animam per multa permeare corpora hodie tradunt, nullo sibi modo spem rediturae vitae eripi patiuntur, tametsi vehementer inter se dimicent, quodnam eorum corporum, quae incoluit animus, ei reddendum sit. Alii scilicet mentem primum, alii postremum, alii optimum & pulcherrimum domiciliorum suorum recuperaturum esse, disputant. (\*\*)

Atqui hoc tamen controversia vacat, non mediocrem vero de corporum redintegratione dogmati iniuriam inferre, quos diuturni illi animarum errores delectant. Nam si unum ex pluribus, quibus coniunctus fuit, corporibus animus tantum recipiet, non omnia bonorum, malorumque corpora renascentur, sed pauca tantum. Quae difficultas ipsos quosdam ex Iudaeorum magistris ita terret, ut ineptissimo eam errore tollere non dubitent, animamque in tot particulas seu scintillas in supremo die divisum iri, quot hic corpora incoluit, in singulaque corpora harum particularum unam a Deo immissum iri, stolidè praecipiant. (\*\*\*)

B 3

Fin-

(\*) Vid. IO. HORNBECKIUS de convincendis & convertendis Iudaeis Lib. VIII. cap. III. p. 541. f.

(\*\*) MENASSEH BEN ISRAEL de resurrectione Lib. II. cap. XVIII. pag. 214.

(\*\*\*) IO. ANDR. EISENMENGER'S Entdecktes Judenthum P. II. cap. XVI. p. 942.

Fingamus vero, minimam Pharisaeicæ nationis partem tempore CHRISTI his commentis maculatam fuisse, maximam contra, omnium omnino corporum instaurationem sperasse: ne sic quidem puram & innocentem pronuntiare licebit hanc familiam. Erit hoc illi, demtis reliquis vitiis, maximo dedecori, quod novos illos & immortales homines, quos ultimus orbis nostri dies producet, vitam illi, quam mortales agimus, plane similem victuros, uxoribus ufuros, convivatuos, voluptatum omni genere expleturos semet esse, statuit. Hanc communem Pharisaeorum fuisse sententiam quaestio, quam Sadducaei Servatori nostro ponunt, *Matth. XXII. 23.* satis declarat: Cuinam septem fratrum, quibus una nupfit foemina, quum mortui suscitabuntur, haec pro uxore dabitur? Ignava prorsus & futilis haec fuisset interrogatio, nisi Sadducaeorum adversarii, Pharisaei, coniugis in futura vita locum fecissent. Neque dissimulat hanc sectae suae opinionem alius, quem *LUCAS c. XIV. 14.* inducit, Pharisaeus: qui quum Servatorem nostrum dicere audivisset, beneficiorum miseris hac in vita exhibitorum in futura & immortali magnam remunerationem fore, pie sibi respondere videtur: *Beatus ille, qui epulabitur in regno Dei.* Nil scilicet bonus homo dubitat, exquisito potu & cibo renata corpora recreatum iri. Nec hodierni magistri maiorum suorum errorem hunc diligere desinunt. (\*) Tales quum populi Iudaici sapientes fuerint

(\*) EISENMENGER l. c. P. II. c. XVI. p. 943.



rint, quis plebem, quae id probat plerumque, quod a doctoribus iudicatum videt, meliorem fuisse censeat? Credamus, nullos ex multitudine, Sadducaeorum & Essenorum scitis aures praebuisse, difficile licet hoc creditu sit: addamus, omnes iis ex Pharisaeorum ordine assensisse, qui proxime a veritate remoti erant: id tamen negari haud poterit, iisdem, quibus optimi Pharisaeorum, vitiis populi animos laborasse. Hoc autem si ita est, id quoque fatendum erit, ipsos inter Iudaeos IESVM CHRISTVM *αἰφρασίαν* seu immortalitatem in lucem produxisse & veteris, verique dogmatis de altera corporum nostrorum vita vindicem extitisse.

Pergamus ab his ad Graecorum philosophos, quorum aliqui tanta perspicacitate fuisse perhibentur, ut unius rationis luce eruditi mortuorum ad vitam reversionem vaticinati sint. Hic nos primum vocat DEMOCRITVS, vir in primis acutus & philosophiae illius parens, quae ex atomis omni qualitate nudis rerum universitatem construit; hunc enim PLINIVS ob novam vitam mortuis corporibus promissam ridet. *Similis &, inquit, (\*) de asservandis corporibus hominum ac reviviscendi promissa a Democrito vanitas, qui non revixit ipse. Quae (malum) ista dementia est, iterari vitam morte? Lucem obscurius hoc dictum ex verbis his VARRONIS (\*\*)* accipit: *Quare Heraclides Ponticus plus sapit, qui praecepit, ut combure-*

(\*) Histor. natural. Lib. VII. cap. LVI. p. 411. ed. Harduini.

(\*\*) Libro *περὶ τὰ φύσιν* apud NONIVM de proprietate sermonum cap. III. p. 614. III DION. GODOFREDI Auctoribus Linguae Lat.

*burerent, quam Democritus, qui, ut in melle servarent; quem si vulgus secutus esset, peream, si centum denariis calicem mulsi emere possemus.* Suasit igitur, (nec enim necesse est, ut horum testium fidem infirmemus) **DEMOCRITVS** hominibus, ut melle corpora mortua condirent, ne putrescerent; certo enim tempore, si integra servarentur, vitam ea receptura esse. Haec vero adeo disiuncta sunt a Christianorum sententia, iustissime ut mireris, quo iure **DEMOCRITVS** inter eius amicos cooptatus sit? Qui auctor est aliis, ut arte & consilio cadaverum dissolutionem impediunt, is mihi aperte negare videtur, corpora in cinerem reducta & dissipata reviviscere posse. Ceterum quid sibi voluerit philosophus hic, facile opinionum antiquarum non imperiti coniiciunt. Multi veterum in ea erant sententia, certo saeculorum numero completo, animos fatali quadam lege in hunc orbem reverti, novaque sibi corpora adsciscere solere. (\*) Hanc quum ab Aegyptiis, inter quos diu vixit, forte traditam accepisset opinionem **DEMOCRITVS**, homines docere ausus est, qua ratione perfici posset, ut id ipsum, quod moritur, corpus iterum animaretur. Animam nempe dixit ad infera haec loca fatorum decreto iterum delapsam, si vetus hospitium salvum & incolume reperiat, laetam & lubentem in istud, veteri amore ductam, migraturam esse: id ergo curandum unice illis esse, qui corpora sua renasci velint, ut melle & unguentis corruptionem ab illis arceant. Ex animo,

an

(\*) Multa hac de re testimonia collegit **THOM. BYRNETVS** *Theoria telluris sacra Lib. IV. c. V. p. 242.*

an simulate praeceperit perpetuus hic humanae levitatis irrisor, haud dixerim.

Iungamus DEMOCRITO Epicuraeos & Stoicos: illos ipsos scilicet, qui s. PAVLVM, Athenis de mortuorum reditu in foro differentem, insanire, iudicabant. *Actor. XVII. 18. 32.* EPICVRVS, inquit HIERONYMVS, (\*) *asserit, per innumerabiles periodos eadem & eisdem in locis & per eosdem fieri.* Id si tradidit EPICVRVS, affirmaverit etiam necesse est, futurum esse, ut mortui post longum tempus iterum existant. Haec adeo ab EPICVRI persona remota videtur esse sententia, ut de HIERONYMO corrigendo quidam deliberent & Epicuri nomen in verbis eius deletum velint. Sed licet is paullo forte confidentius, quam ipsius EPICVRI fert opinio, loquatur, haud tamen fabulam nobis narrat. Certum est ex LVCRETIO, accurato dogmatum Epicuraeorum interprete, censuisse hoc genus, fieri non modo posse, ut longo spatio elapso, quae semel extiterunt, corpora iterum oriantur, sed etiam saepe hoc reapse & contigisse & eventurum esse. (\*\*)

*Nec si materiam nostram conlegerit aetas*

*Post obitum, rursusque redegerit, UT SITA NVNC EST,*

*Atque iterum nobis fuerint data lumina vitae,*

& paucis interiectis:

*Nam cum respicias immensi temporis omne*

*Praeteritum spatium, tum motus Materiai*

*Multimodi quam sint: facile hoc adcredere possis*

*Semina saepe in eodem, ut nunc sunt, ordine possa.*

C

Enim-

(\*) Comm. in Eccles. c. I. Tom. VII. Opp. p. 53.

(\*\*) de rerum natura Lib. III. v. 859. f.

Enimvero quam nihil hoc scitum simile habeat Christianorum disciplinae, promptum statim erit, modo perspicue exponatur. Non corpus solum renascitur, ex mente EPICURI, sed totus homo, ex anima & corpore constans: neque iussu Dei homo renascitur, sed fortuito: corpuscula nimirum, ex quibus conflatus quondam fuit, sic improvise post infinitas concitationes concurrunt, ut eandem denuo naturam efficiant: neque ad immortalitatem hic homo renascitur, sed ad novam dissolutionem: postremo nihil eorum, quod diserte perhibet LUCRETIVS, (\*) quae gesta sunt a priori, qui obiit, homine, ad novum hunc, qui renascitur, pertinet. Ecquid horum eiusmodi est, ut a Christiano homine probari possit?

Sed Epicuraeis pauci admodum in hac causa praesto sunt: longe plures tam veterum, quam recentiorum Stoicis, quorum sapientiam secundum Platoniam Christianae maxime cognatam esse, antiqua est opinio & ab ipsis paene rerum nostrarum initiis ad nos ducta. Genus hoc ORIGENES nomen quidem ἀναστάσεως seu resurrectionis non adhibere, at rem tamen ipsam tenere, statuit. (\*\*) καὶ μὴ ὀνομάζωσιν ἐν τῷ τῆς ἀναστάσεως ὄνομα, τῷ πράγματι γε δηλοῦσιν. Nec id temere & absurde dictum ab eo esse putat HVMFR. HODY. (\*\*\*) Sed nec ab ipso ἀναστάσεως nomine abhorruit

(\*) Vid. PETR. BAYLIVS Dictionaire voce Lucretius Not. Q. Tom. II. p. 1810.

(\*\*) Lib. V. contra Celsum §. 20. p. 592. T. II. Opp. ed. Benedict.

(\*\*\*) The resurrection of the same Body p. 20. 21.

ruit secta haec, si fas est NUMENIO credere, philo-  
sopho Platonico, apud EVSEBIVM, (\*) qui sen-  
tentiam Stoicorum explicans, vocabulo hoc utitur:  
*καὶ εἰς τὴν ΑΝΑΣΤΑΣΙΝ ἐκείνην τὴν ποιῆσαν ἐνιαυτὸν τὸν μέγιστον.*  
*Quum natura ad RESVRRECTIONEM illam magni*  
*anni effectricem redierit.* Consentiant cum ORIGE-  
NE multi aureae aetatis Christianae doctores, TATIA-  
NVS, CLEMENS ALEXANDR., LACTANTIUS,  
IVSTINVS, alius licet alio evidentius; quorum verba,  
ne fines instituti excedamus, omittimus, nec afferre  
necesse est, quum pleraque apud HVETIVM, PFAN-  
NERVM & alios legantur. Recentiores, ut MERICVS  
CASAVBONVS(\*\*) & GVIL.BVRTONVS(\*\*\*) Stoi-  
cae gentis augustum decus, M. ANTONINVM, Im-  
peratorem, & SENECA M(\*\*\*\*) maxime appellant,  
ut Stoicae & Christianae disciplinae hac in parte conve-  
nientiam testatam faciant. Plurimi quidem horum  
fatentur, interesse nonnihil inter Christianum & Stoi-  
cum dogma de iisdem hominibus in vitam reducen-  
dis: sed magnum hoc discrimen esse, negant, nec  
contendere dubitant, ex obscura quadam & informi  
veridogmatis de mortuorum ad vitam reditu notione  
ZENONIS sententiam natam esse.

Ego vero, etsi nihil temere de magnorum vi-  
rorum, in quibus praestantissimi quidam nostrarum

C 2

par-

(\*) Praeparat. Evangel. Lib. XV. cap. XIX. p. 821. ed. Vigerii.

(\*\*) Of credulity and incredulity p. 23.

(\*\*\*) Adnot. in Clementis Romani Ep. ad Corinth., *Patr. Apostol. T. II.*  
P. II. p. 478.

(\*\*\*\*) Vid. BOVLLIER *Traité de l' Ame des betes* P. II. cap. XIX. p.  
423. ed. secund.

partium Theologi sunt, existimatione detractum velim, vi tamen veritatis compulsus iudico, tam similem esse Stoicorum de corporum mortuorum renovatione opinionem Christianae, quam luci tenebras. Et hoc, scio, iudicium laudabunt omnes, modo dogma Stoicum recte perceperint & cognoverint. Sic vero ZENO, conditor huius familiae, praecepit. Magno, quem vocant, anno vertente, omnibus mundi nostri humoribus a fideribus exhaustis, tota rerum natura inflammabitur & conflagrabit, corporaque omnia non secus, quam animi, in principia sua revertentur: hoc facto, eadem, quae esse desiit, rerum series nascetur, iidem homines, qui obierunt, eodem ordine, quo vixerunt, in scenam redibunt, eandemque fabulam, quam olim egerunt, repetent. Idem Socrates, qui antea fuit, suo tempore renascetur, cum Sophistis Athenis disputabit, accusabitur, condemnabitur, cicutam intrepidus hauriet. Idem surget Democritus & hominum dementiam ridebit. Idem Heraclitus coecitatem generis nostri deplorabit. Vbi fidera spatia sua aeterna lege definita confecerint, pristinum illud naturae rerum incendium de novo consequetur, idemque rursus mundus, Phoenicis instar, ex cineribus suis renovatus profiliet. Haec si ZENO cum suis credi voluit, voluisse verò cuncti, qui de Stoicorum scitis ex instituto exposuerunt, IVSTVS LIPSIVS, IACOBVS THOMASIVS, IAC. BRVCKERVS, eruditissimi viri, probant, quam, quae-  
 so, parte Stoica disciplina Christianam attingit? Me quidem iudice, nulla plane. Primum ex decreto  
 Stoi-

Stoicorum non corpora mortuorum tantum restitu-  
entur, sed toti homines ex corpore & animo com-  
positi: hi ipsi deinde non simul & uno eodemque  
temporis momento, verum suo quisque ordine,  
quem fatum illis in rerum universitate adsignavit, re-  
viviscent: neque etiam ex pulvere ac sepulcris pro-  
dibunt, sed iisdem ex parentibus, ex quibus olim pro-  
creati fuerunt, eadem ratione nascentur: denique non  
iudicis supremi voce ad praemia, vel poenas immor-  
tales vocabuntur, sed immutabili fatorum lege, cui  
ipsum Deum obtemperare oportet, ea conditione,  
quum ordo quemlibet tetigerit, revertentur, ut ea-  
dem, quae antea fecerunt, sive bona, sive mala, fa-  
ciant, postremo moriantur. Sume tibi horum ali-  
quid, & vide deinceps, num Christiani nomen tueri  
queas! At enim, dicunt viri docti, sunt tamen hoc  
in dogmate luculenta veritatis nostrae vestigia: quae  
Stoicos aut a Iudaeis, aut ab aliis populis, in quibus  
primae religionis notitia quaedam superfuit, acce-  
pisse, credibile est. Haec vero mihi vestigia mon-  
strari velim, quum nulla videam. Certe non rudis  
quaedam & obscura veri notio, sed capitales illi Stoi-  
corum errores de fato & aeterna rerum omnium ne-  
cessitate, de natura Dei, de universitatis huius indole,  
commenta ista, partim impia, partim ridicula,  
pepererunt.

Mirum foret, ni & divinus PLATO cum ma-  
gistro PYTHAGORA, inter eos relatos fuisset, qui  
mortuorum reditum perspexerunt & sperarunt, is,  
qui plurimis omnium illorum, quae CHRISTVS do-  
cuit,

cuit, dudum ante adventum eius gnarus fuisse videtur. MARSILIVS FIGINVS, in *Phaedone* PLATONEM obscure, in *Politico* vero perspicue mortuorum redintegrationem praedixisse, perhibet. (\*) Nostra memoria ANDR. DACERIVS, quo nemo philosophum hunc iniquius coluit, eandem ei laudem nil dubitans tribuit. (\*\*). Alii timidius id faciunt, qui tamen addunt, imaginem quamdam & similitudinem nostri dogmatis in illis, quae de mundo, magno, quem veteres dicunt, anno redeunte, renovando PLATO & PYTHAGORAS sanxerunt, apparere. In his confutandis parcis nobis esse licebit. Fatentur viri docti, ex *Phaedone* nihil ad sententiam suam probandam, quod exceptione maius sit, proferri posse. Ex *Politico* quae huc trahuntur, cum perobscura sunt, tum sine controversia, ipsis assentientibus T O B. PFANNERO (\*\*\*) & HVMPHR. HODY, (\*) ad magnam illam mundi conversionem, quae tot veterum sapientum in ore versata fuit, pertinent. (\*\*). Univerfitatis vero huius restitutio, quam Pythagoraei &

(\*) Comm. in Phaedonem Platonis p. 798. ed. Lugd 1590 fol *Hic videtur mortuorum resurrectionem vaticinari, quam & in Politico comprobat.*

(\*\*) *La vie de Platon, quae praemissa est Gallicae eius interpretationi Dialogorum Platonis, Tom. I. p. 239 ed. Batav. Non seulement Platon a prouvé l'immortalité de l'ame, mais il en a connu encore toutes les suites comme LA RESURRECTION & le dernier iugement.*

(\*\*\*) System. Theol. Gentil. purior. c. XIX. p. 430.

(\*) The resurrection of the same Body p. 16. f.

(\*\*) Vid. PLATONIS Politicus p. 175.

& Platonici, fideribus eodem, unde olim profecta sunt, revertentibus, pollicebantur, a Stoicorum decretis, quae paullo ante narravimus, nihil prope differt. Ex quo consequitur, studiis, ne verum cerant, impediri viros excellentes, qui eam cum Christiano de suscitandis mortuis dogmate contendunt & comparant.

Dimittamus igitur Graecos & ad reliquas veniamus gentes, quibus IESVS CHRISTVS, eiusque legati nihil novi & inopinati patefecisse feruntur, quum nuntiarent, animos in supremo mundi die in eadem, quae reliquerant, corpora redituros esse. Sunt in hoc genere nationes plurimae, Persae primum, deinde Aegyptii, porro Arabes, Indi, Sinae, Peruviani, Mexicani, Ceylonenses, Iavani & alii. Per hos omnes populos ire longum foret: sed necesse non est, ut molestum hoc iter aggrediamur. Nonnullorum enim sacra nato Servatore recentiora sunt. Alii, si quam spem novae vitae extinctis corporibus faciunt, a Mahumedanis in eam adducti esse videntur, quos religionem suam a multis saeculis studiofissime per Asiam & Africam disseminasse novimus. Quorumdam denique scita ita nondum illustrata sunt, ut, quid affirmant, quid abnuant, sine erroris periculo statui queat. Satis erit, paullulum studii in antiquiores, qui ante natum Servatorem opibus, imperio & sapientiae gloria floruerunt, impendere, in Persas nimirum, Arabes, Indos, Aegyptios.

Persarum Magi seu philosophi multis gravissimorum & doctissimorum hominum patrociniis hac  
in



in caussa diligentissime defenduntur. (\*) Neque tamen aliquos tot magnae auctoritates continere potuerunt, ne ab illis desciscerent, saltim dubitarent. Fidem quondam dedit eximius coetus nostri Theologus, IO. FECHTIVS, se cum Persarum, tum aliorum populorum & veterum, & recentiorum, quibus futura mortuorum restitutio nota fuisse dicitur, sententias ingenue ponderaturum & quid nostro dogmati vel conveniens, vel repugnans habeant, declaraturum esse. (\*\*) Non exsoluit is, quod sciam, quod promiserat: at nec tamen obscurum reliquit, haud parum ipsi visas esse omnes a Christianorum decretis alienas. IO. CLERICVS vereri sese significat, ne perperam Magorum sententia percepta sit. (\*\*\*) Animosius nuper IAC. BOVLLIER (\*) pronuntiavit, Magos aequae late a CHRISTI discipulis distare,

(\*) Vid. HUGO GROTIUS *de veritat. relig. Christ. Lib. II. §. XI. p. 151. 152. ed. Rev. Koecheri.* HERM. CONRINGIVS *Annotat. ad Grotium p. 195. 203. in Rev. IO. CHRISTIAN. KOECHERI Grotio illustrato.* PETR. DAN. HVETIVS *Quaest. Ahetanis Lib. II. cap. XXII. p. 232.* TOBIAS PFANNERVS *System. Theolog. gentilis cap. XIX. §. III. p. 429.* HUMFR. HODY *loc. cit. p. 29. f.* THOM. HYDE *Historia religionis veter. Persar. cap. XXII. p. 292.* ISAAC DE BEAUSOBBRE *Histoire de Manichée & du Manichéisme Liv. II. c. IV. p. 204. Tom. I. alii plures.*

(\*\*) Vide *Schediasmata eius sacra Exerc. I. quatenus resurrectio ex lumine naturae innotescat §. CCXXI. p. 431. f.* Adde *Noctes Christianae Exerc. XI. eiusdem argumenti §. LIX. p. 975.*

(\*\*\*) *Indice Philologica in THOM. STANLEII Historiam Philos. Orientalis voce Resurrectio.*

(\*) *Traité de l'ame des betes Tom. II. cap. XIX. p. 420. Not. ca. secundae.*

stare, atque Stoicos, nec mortuorum ad vitam reditum, sed redintegrationem naturae rerum talem, qualem Platonici, Pythagoraei, & alii, spondere: in quo tamen haud dubie ignoratione veteris Persarum disciplinae lapsus est. Exquiramus, utri parti fidem nos habere velit veritas.

De testibus rogati Magorum patroni, quatuor ex antiquis excitant, eosdemque non ignobiles: his posteros Magorum, qui *Guebri* seu *Gavri* vocari vulgo solent, in Persia & India adhuc commorantes, adiungunt. Antiqui testes sunt THEOPOMPVVS, Philippi Macedonis aequalis, EVDEMVS RHODIVS, eiusdem aetatis scriptor, PLVTARCHVS, AENEAS GAZAEVS, philosophus saeculi quinti Christianus. Sed, quod bona cum gratia doctissimorum hominum dixerim, ex his quatuor, re bene putata, unus fiet. EVDEMVM RHODIVM laudat quidem DIOGENES LAERTIVS, postquam de Magis ex THEOPOMPO & aliis multa retulerat: Ταῦτα δὲ καὶ Ἐυδημος ὁ Ρωδιὸς ἱστορεῖ. (\*) Sed nihil ex eo affert: unde incertum fit, quid vere is scriptum reliquerit, numque eadem plane, quae THEOPOMPVVS, tradiderit. Atqui multum hac in causa refert, quod mox patebit, scire, quibus verbis, utrum iisdem, quibus THEOPOMPVVS, an vero aliis, Magorum sententiam expresse- rit. PLVTARCHVS & GAZAEVS quaecumque habent, data sibi esse a THEOPOMPO, ingenue significant: quare huius auctoritate, tamquam cardine, uniuersa causa vertitur. Concedamus, nihil eius testimonio

D.

ad

(\*) Prooem. ad vit. Philosoph. Segm. 9. p. 7. ed. Wetstenii.

ad fidem & gravitatem deesse, modo clarum, certum & constans sit. **DIOGENES LAERTIUS** his illud verbis effert: Ὁς καὶ ἀναβιώσεσθαι, κατὰ τὰς Μάγους, φησὶ τὰς ἀνθρώπους, καὶ ἔσεσθαι ἀθάνατους. *Magorum sententia in vitam quoque redituros homines dicit, immortalesque futuros.* Satis haec ambigue dicta sunt, neque certos nos faciunt, hanc partem disciplinae Magorum Christianae consentaneam fuisse. Revicturi quidem esse perhibentur homines: sed quales? totine homines vitam recipient? an vero corpora tantum hominum? Graviorem nobis scrupulum **PLUTARCHVS** iniicit, qui eundem licet **THEOPOMPVM** sequatur, haud paullo tamen aliter Magorum sententiam narrat: (\*) Θεόπομπος φησὶ κατὰ τὰς Μάγους -- τέλος ἀπολείπεσθαι τὸν Ἄδην, καὶ τὰς μὲν ἀνθρώπους εὐδαίμονας ἔσεσθαι, μήτε τροφῆς δεομένους μήτε σκίαν ποιῶντας. *Theopompus ait, ex sententia Magorum Plutonem (id est, malum, quod sibi Persae fingebant, principium, post varias cum bono principio pugnas) desitutum esse: & tunc homines fore beatos, neque alimento utentes, neque umbram edentes.* Hic primum de altera hominum vita nihil habet: quod argumento est, **DIOGENEM** ex suo potius, quam ex **THEOPOMPI** sensu, Persarum dogma recitasse. Deinde, tametsi beatos, devicto Arimanio seu Plutone, corporibus fore praeditos, diserte indicet, negat tamen vicissim, eadem corpora, quae mortales gesserunt, immortalibus redditum iri, quum beatorum corpora aetherea & ex purissima luce conflata fore, seu, quod idem est, um-

(\*) de Iside & Osride p. 370. T. II. Opp. ed. Francof. 1620. f.

umbram nullam editura esse, memorat. Agnoscas in his facile Persarum & Chaldaeorum decreta, quos existimasse pervulgatum est, omnia, quae caliginem & umbram gignunt, omnia concreta & ex crassa, rudique materia composita, in mali Numinis imperio esse, boni vero Numinis regnum, omnesque eius ci- ves ex mera luce, eademque castissima, nostrae- que prorsus dissimili, constare. GAZAEVS rursus tam a DIOGENE, quam a LAERTIO, discedit. Sic e- nim: (\*) 'Ο Ζωροάστρης προλέγει, ὡς ἔσαμ ποτὲ χρόνος ἐν ᾧ πάντων νεκρῶν ἀνάστασις ἔσαμ. 'Οιδὲν ὁ Θεόπομπος ὁ λέγω καὶ τὸς ἄλλας αὐτὸς ἐκδιδάσκει. *Zoroaster etiam vaticinatur, fu- turum aliquando tempus, quo omnes in vitam resusci- tentur mortui. Novit id ipsum Theopompus, aliosque edocuit etiam.* Vir non indoctus, quod moris est an- tiquis scriptoribus nostris, sine ulla controversia ver- bis Christianorum mentem ZOROASTRI exposuit; neque ulli sapienti rectius & accuratius, quam DIO- GENES & PLVTARCHVS, descripsisse THEOPOM- PVM videbitur. Veteres ergo, qui producuntur, tes- tes, nec firmi, nec aperti sunt.

Sed hodiernos Magorum posteros, quos *Gue- bros* vulgo nominant Mahumedani, testabuntur viri docti, tamquam optimos maiorum suorum interpre- tes. Multum in primis laborat THOM. HYDE, ut tam veterum quorundam scriptorum, quam recentiorum viatorum testimoniis convincat, (\*\*) hos nec de coe- lo, nec de inferis, nec de futuris corporum & ani-

D 2

morum

(\*) in Theophrasto p. 77. ed. Barthii.

(\*\*) Histor. religionis veterum Persar. p. 292. 535.



morum fatis deterius, quam Christianos, si minuta  
 quaedam tollas, praecipere. Quam id recte faciat,  
 constabit, si modo veram Magorum de nova mor-  
 tuorum animatione sententiam ex tenebris, in qui-  
 bus iacet, protraxerimus. Primum hoc mihi cer-  
 tum est, per ipsa disciplinae sua initia non licuisse  
 ZOROASTRI discipulis, talem mortuorum ad vitam  
 reversionem profiteri, qualem sanctissimus Servator  
 noster docuit. Norunt, qui hanc antiquitatis partem  
 vel mediocriter scire curarunt, universi, ZOROAS-  
 TRUM duo huic rerum universitati Numina, aut si  
 mavis, principia, bonum alterum, alterum vero  
 malum, praeposuisse: bono dominatum in lucem &  
 naturas ex aethere & subtilissima materia constan-  
 tes, malo imperium in tenebras, totamque opa-  
 cam, rudem & crassam materiam tribuisse. His sum-  
 tis, necesse erat, ut mentes hominum, quas ad lucis  
 & ignis naturam ob velocitatem accedere putabat,  
 benigno Numini, corpora, quae ex densa & caligi-  
 nosa constant materia, improbo subiiceret. Hanc  
 autem naturarum toto genere disiunctarum, cor-  
 porum nimirum & animorum, consociationem in-  
 vidiae & calliditati principis malorum adscribebat,  
 quem lucentes & aethereas animas mole corporea  
 circumdedisse, ut boni omnis parenti faceret iniuri-  
 am, existimabat. Scio, Magos, ZOROASTRI se-  
 ctatores, diverso modo haec magistri decreta decla-  
 rasse: neque tamen ulla inter eos secta extitit, quin  
 rerum omnium causas generatim a binis principi-  
 is oppositis arcesseret, materiamque crassam & ob-  
 scuram

fcuram in mali Numinis potestate esse, fanciret. Id vero si certum est, vecordes fuissent Magi & sua ipsi scita confecissent, si praepotentem Deum affirmassent, dissoluta corpora in vitam revocaturum esse. Fingeret, ex mente Magorum, Deus ille, cui libertas animorum placet & caligo omnis odiosa est, animis, ex hostis sui vinculis feliciter expeditis, novas catenas, adversarii sui opera reficeret, pravis denique consiliis eiusdem inserviret, uno verbo, ex bono malus fieret, hoc si facere susciperet. Iam si quis sciscitetur, cuiusmodi demum nova illa & beata vita sit, quam expectare homines ZOROASTER iussit, is sic habeat. Statuit ille, & post eum Persarum Magi omnes idem statuerunt, malum Numen, quod *Arimanium* dicere solebant, a bono, multis praeliis commissis, penitus postremo debellatum iri. Immani hoste hoc prostrato & in perpetuam custodiam detruso, lucis & bonorum omnium Dominus terram creabit novam & omnibus fordibus & tenebris vacuum. In beato hoc orbe omnes omnino animi, five bene, five male, materiae alligati egerint, novis corporibus splendentibus & pellucidis vestiti, suavem & felicem sine fine vitam ducent. Ita clare, praeter alios, PLVTARCHVS Magorum mentem exposuit: (\*)

Ἐπεισι δὲ χρόνος εἰμαρμένος, ἐν ᾧ τὸν Ἀρειμάνιον λοιμὸν ἐπάγοντα καὶ λιμὸν ὑπὸ τέτων ἀνάγκη φθαρήναι πάντας καὶ ἀφανισθῆναι, τῆς δὲ γῆς ἐπιπέδον καὶ ὁμαλῆς γενόμενης, ἕνα βίον καὶ μίαν πολιτείαν ἀνθρώπων μακαρίων καὶ ἰσο-

D 3

γλώσσ-

(\*) de Iside & Osiride p. 370. Tom. II. Opp.



γλώσσω ἀπάντων γενέσθαι. *Appetere, dicunt, fatale illud tempus, quo necesse sit peste & fame ab his adducta Arimanium omnino perdi atque aboleri, terraque aequabili & plana facta, unam vitam, unamque civitatem beatorum hominum universorum, unaque lingua utentium fore.* Eadem ad hunc usque diem omnes *Guebri*, ubicumque versentur, docent: idque cum illa, quae ipse THOM. HYDE congeffit, testimonia, tum IOH. BAPT. TAVERNIERIVS, (\*) GABRIEL de CHINON, scriptor accuratus, cui diu cum Guebris vivere licuit, (\*\*) & alii plures confirmant. Adhibent, non ignoro, *Guebri* in hoc sectae suae dogmate exponendo, idem illud vocabulum, quo Mahumedani futurum mortuorum ad vitam reditum designare solent: credam enim, ne difficilis nimis videar, ipsa eorum verba fideliter retulisse, quorum auctoritatibus hac in re standum nobis est. Sed vocabulum hoc miserae genti dominorum suorum, Mahumedanorum, crudelitas suasit. Detestantur nimirum Mahumedani vehementissime omnes, qui negant, haec ipsa viventium corpora in extremo die divino mandato restitutum iri, nec secus, atque publicos hostes, vexant & trucidant. Hinc ut paci & saluti suae consulant infelices Magi, qui multa alia maiorum scita dudum aut prorsus occulturnt, aut blandioribus nominibus expresserunt, verbis saltem alienos sese ab hoc errore ostendere volunt. Patiamur, hac eos vocabulorum convenientia tyrannos

(\*) Voyages Livr. IV. c. VIII. p. 165.

(\*\*) Relations nouvelles du Levant Livr. III. Artic. IV. p. 441. f.

nos suos placare: nos vero decipi haud finamus. Nihil Magi Perfarum commune nobiscum vel habuerunt olim, vel habent hodie. Nec enim eadem animis corpora, quae hic gesserunt, redditum iri putant, sed nova & aetherea; nec malos, ut scelerum sempiternas poenas persolvant, bonos, ut aeternum beati sint, a morte excitatum iri, sciscunt, sed omnes omnino homines eiusdem felicitatis in futura vita participes fore, decernunt: idque disciplinae eorum, quam retulimus, consentaneum esse, facile intellectu est.

Arabum plurimos, antequam MAHVMEDES surgeret, omnem mortuis reviviscendi spem abstulisse, ex ipsius *Korani* locis aliquot efficitur: neque negant viri doctissimi. Sed nonnulli tamen gentis huius, quam in varias sectas divisam fuisse, accepimus, plus sapientiae habuisse perhibentur. *Erant*, inquit GREGORIUS ABVL-PHARAIVS, (\*) *ex ipsis, qui resurrectionem mortuorum agnoscerent, asserentes, si cuius camelus super ipsius sepulcrum mactatus fuerit, ipsum cum ad iudicium resurgat, equitaturum, at qui hoc fieri non curaverit, peditem futurum.* Huic testimonio bina addit alia EDVARDVS POCOCCIUS: (\*\*) alterum SCIAHARESTANII, cuius celebre extat opus *de religionibus orientis*: alterum EBNOLATHIR. Afferemus partem verborum POCOCCII: *Fuisse, inquit, ex Arabibus dicit Sharestanius alios, qui nec praecessisse creationem crederent, nec futuram resur-*

(\*) Historia Dynastiar. Dynast. IX. p. 101. ed. Poccockii.

(\*\*) Specim. Histor. Arabum p. 134.



*surrectionem: alios, qui res omnes creatas agnoscerent, at restitutum iri mortuos negarent: ALIOS DEMVM, QVI VTRVMQVE, FATERENTVR. Nefas videtur, de fide doctissimi viri dubitare: at nonnihil tamen dubitationis nasci mihi sensi, quum cernerem, in ipsis SCIAHARESTANII verbis, ut a IOS. SIMON. ASSEMANO (\*) EX ISMAELE ABVLFEA afferuntur, binarum tantum priorum inter Arabes factionum, nullam tertiae, quae tam ortum huius mundi, quam mortuorum restitutionem credidisse dicitur, mentionem fieri. Linquemus hoc, nec impediemus, quo minus Arabum nonnulli ante MAHMEDEM bene ominati esse defunctis corporibus videantur. Superest, ut exquiramus, quibusnam auctoribus in hanc spem venerint. Equidem eos a Iudaeis & Christianis, quorum magnam multitudinem in Arabia secure vixisse, priusquam MAHOMEDES motus & bella cieret, notissimum est, eruditos fuisse suspicor. Nec id a vero remotum videtur v. c. DAV. MILLIO. (\*\*)*

Igitur nec in his aliquid iis praesidii positum est, qui CHRISTO veniente, inter populos versatam passum fuisse suscitandorum cadarum fiduciam, opinantur.

Indos qui non ignorat a plurimis iam saeculis existimasse, animos de corpore decedentes in aliud sive hominis, sive animalis, corpus migrare, is locum illis

(\*) Biblioth. Orientali Clement. Vaticanae Tom. III. P. II. Cap. X. §. II. p. DXC.

(\*\*) Diss. de Mohammedismo ante Mahomedem §. X. in *Dissert. selectis* iunctim editis p. 317. f.

illis inter gentes concedi, quae homines a morte surrecturos esse, quondam censuerunt, vehementer mirabitur. Perfecit vero, ut id fieret, RICHARDVS WRAG, Anglus, qui ex *Banianum* aliquo in Cambaia se cum multa alia, tum hoc etiam accepisse narrat, sectam hanc de supremo huius orbis die atque futura corporum mortuorum animatione eadem, quae Christiani, praecipere. (\*) Est autem *Banianum* tribus una ex quatuor maioribus Indorum, hominesque complectitur mercaturae & argentariae deditos. Haec una viros quosdam egregios adeo commovit auctoritas, ut aliquos saltem inter Indos extare ita sentientes, statuunt. Isne vero unus auctor potior nobis erit tot aliis certissimis & locupletissimis, qui nullo dissentiente referunt, *Banianum* omnium mentibus maiorum suorum commentum de animorum per varia corpora itineribus, tam alte infixum esse, vilissimorum ut etiam insectorum vitae, aequae caute ac hominum, parcant? (\*\*)

Nolumus malae fidei Anglum arguere: audivit forte, quum ea, quae narrat, ab ignoto quodam dicerentur. In eo vero, nisi me fallunt omnia, peccavit, quod Indum hunc ex *Banianum* esse familia sibi persuasit. Pleraque enim eorum, quae is de

E

reli-

(\*) In HACKLVT Collection of Travels Tom. II. p. 310.

(\*\*) HENR. LORD Diff. sur la Religion des Banians cap. XV. p. 15. Tom. I. P. II. *Des Ceremonies & Coutumes de tous les peuples du Monde*: Les Banians ne croient point la Resurrection des corps, parce, disent-ils, que le ciel est un lieu trop pur pour pouvoir contenir des substances si grossieres & si materielles.

religione sua commemorat, hominem demonstrant in Iudaeorum scholis institutum. Celebrat nimirum septem illa, quae Iudaei tantopere commendant, Noachidarum praecepta, & corpora mortuorum ex dorsi quodam officulo, quae Hebraeorum nugae sunt, instaurationum iri perhibet. Quocirca hominem hunc gente Iudaeum fuisse, opinor, at questus, aut aliarum rerum causa, cum Banianibus sese sociasse, propriamque sibi superstitionem, ex Iudaeorum & Indorum praeceptis mistam, finxisse.

Aegyptios veterum & recentiorum haud pauci inter eos collocant, qui vitam cadaveribus certo tempore reddendam esse, arbitrati sunt. ORIGENES eadem illis hac de re placere scribit, quae Stoicis; (\*) atqui hos, quod supra vidimus, non re, sed vocabulo tantum, a Christianis discrepare, autumat. AUGUSTINI aetate Afrorum nonnulli ita desipiebant, ut Aegyptios ducerent melius & naturae convenientius de corporum instauratione, quam Christianos, docere: (\*\*)  
*Nolo mihi iam opponas, quod soles opponere: Non manet integrum corpus sepulti mortui: nam si maneret, resurgere crederem.* AEGYPTII ERGO SOLI CREDUNT RESURRECTIONEM, quia diligenter curant cadavera mortuorum. Morem enim habent, siccare corpora & quasi aenea reddere. Gabbaras ea vocant. Non recordati sunt festivi hi iudi-

(\*) Libr. V. contra Celsum §. 20. p. 592. Tom. II. Opp.

(\*\*) Sermon. ad popul. CCCLXI. cap. XII. p. 984. Tom. V. Opp. edit. Benedict.

iudices, Aegyptios cadavera minime integra, sed nobilioribus partibus suis spoliata, servasse. Viscera enim & cerebrum extrahere & vacuum caput pice replere solebant. Recentiorum scriptorum, quibus Aegyptii parum a nobis distare videntur, copiosa turba est. Nascitur vero haec celeberrimae gentis laus ex eo, quod censuisse fertur, fore, ut longo multorum saeculorum intervallo in pristinum statum tota haec universitas redeat, tumque mentes in eadem, quae olim animarunt, corpora revertantur, si quidem ea sana, nec a vetustate exesa & consumpta invenerint. (\*) Liceret nobis communem hanc opinionem, non dicam convellere, sed infirmare. Certe SERVIVS, interpres VIRGILII, aliam nobis longe caussam summi illius studii, quod in condiendis cadaveribus Aegyptii posuerunt, affert. *Aegyptii, inquit, (\*) periti sapientia, condita diutius reservant cadavera: Scilicet, ut anima multo tempore perduret & corpori sit obnoxia, nec cito ad alios transeat.* Sed quid opus est hac disputatione? Accedamus ad plures & fateamur, ideo Aegyptios de cadaverum suorum incolunitate adeo fuisse sollicitos, ut revertentes animi vetera domicilia sua parata invenirent. Iam vero dicant nobis, in quibus ratio est, quaenam huius & Christiani dogmatis cognatio sit? Qui corruptionem a corporibus arte ac unguentis propulsant

E 2

(\*) Vid. BENED. MAILLETI Description de l'Egypte P. II. Lettr. X. p. 47. f.

(\*\*) ad Lib. III. Aeneid. v. 68. p. 502. Tom. I. edit. Masvicii.

fant, illi negare id ipsum, quod Christiani adseverant, putandi sunt. Nusquam igitur inter veteres philosophos & populos, qui, Servatore nostro ad homines adventante, florere, solida & expressa spei nostrae effigies conspicitur. Umbras potius & exangues imagines complectuntur, qui eiusmodi quid cernere sibi videntur. Iudaei quidem antiquae veritatis partem quamdam retinebant, sed vitis non modo maculatam, verum etiam quotidianis variorum hostium insidiis expositam. Maneat ergo IESVS CHRISTVS solus is, qui a S. PAVLO esse dicitur, immortalitatis & futurae instaurationis corporum nostrorum vindex & restitutor.

Meditemur, CIVES OPTIMI, ingens hoc beneficium cum toto vitae nostrae tempore, tum his praesertim diebus, quibus Servatorem nostrum redivivum & mortis victorem celebrare iubemur. Quot IESV CHRISTI facta & dicta extant, quibus divinam auctoritatem suam demonstravit, tot certissima habemus futurae redintegratiouis nostrae firmamenta & pignora. Inter haec vero, quod ipsae sacrae litterae testantur, nullum clarius, certius, & ad immobilem fidem gignendam efficacius est, quam ipsius magistri nostri, tot vulneribus & aerumnis confecti, triumphus de morte & reditus ex sepulcro. Nostis, quemadmodum divinus PAVLVS rationem concludat; Si CHRISTVS a morte surrexit, certum est, mortuos quoque surrecturos & ex tumulis aliquando proditurus esse: Atqui excitatum ex mortuis esse CHRISTVM, & eundem, qui occubuit, CHRISTVM

STVM excitatum esse, testimoniis constat supra omnem dubitationem positis. Quocirca iidem quoque, quos mors oppressit, vitam iussu & voluntate eius recipient. *1. Cor. XV. 12. f.* Committamus hanc ratiocinationem, qua nulla fieri firmior potest, animis nostris, & novam Servatoris nostri vitam contemplantes, futuram corporum nostrorum vitam certissima mentis fiducia praecipiamus. Porro quum nullis, nisi veris CHRISTI discipulis, gaudium & solatium, improbis metum & terrorem, haec fiducia pariat, ex ipsa temporis huius celebritate occasionem capiamus, animorum nostrorum recessus explorandi atque omnibus illis morbis & vitiis, quibus a Servatore nostro disiungimur, nuntium remittendi. Eadem illa IESV CHRISTI de morte victoria, quae spem immortalitatis & salutis nostrae sustinet, crebro nobis a sanctissimis Dei legatis tamquam officii nostri imago exhibetur. Ecquis enim sacra illa oracula ignorat, quibus admonemur, ut IESVM CHRISTVM, claustra sepulcri refringentem, strenue aemulemur & mortem animi, quam naturae labes secum affert, non secus ac ipse corporis mortem, Deo adiutore expugnemus? *Rom. VI. 4. Epbes. II. 5. V. 14. Phil. III. II. Col. III. I. & reliqua.* Obtemperemus divinis hisce vocibus, nec tantum IESVM CHRISTVM de sepulcro reducem, ut vadem nostrum ex divino foro, debito nostro plane exsoluto, dimissum, hilares & vera fide pleni amplectamur, verum etiam eundem, ut exemplum mentis pristinæ vitae suae restituendae & sordibus vitiorum



purgandae intueamur. Haec si vos pia & Christianis necessaria meditatio occupaverit, CARISSIMI CIVES, maximum fructum ex publicis interpretum divinae voluntatis exhortationibus, quibus neminem sese subducturum esse, speramus, percipietis, magnitudinemque beneficii, quo IESVS CHRISTVS humanum genus affecit, vitam & immortalitatem tenebris obrutam in apertam lucem profereundo, plenissime assequemini. P.P. in Acad. Iulia  
 xv. Kal. Maii MDCCXL.



EO - Beg 2002

01 A 6739

ULB Halle  
003 096 890  
ULB Sachsen-Anhalt  
Abgeschlossen  
Datum: 2008

Sb.

D.

Reh. ✓

46  
Jli. ~~46~~





m. 3  
IO. LAVR. MOSHEN  
DE  
IESV CHRISTO VI  
DOGMATIS  
DE MORTVORVM AD  
REDITV  
COMMENTATIO.



---

HELMSTADII,  
EX OFFICINA SCHNORR  
CIC IC CC XL.

